

TABULA X. DE FORMA.

Cum una definitio formæ informantis, assistenti & exemplari non conveniat, ideò primò omnium definiemus formam informantem, quæ una propriè dicta forma est. Dicitur autem illa Principium per unionem sui cum materiâ dans esse rei. (a) Ubi occurrunt

- I. **CAUSATUM**, quod correlativò nomine **FORMATUM** dicitur, est q; quodlibet compositum, quatenus à formâ dependet. Sive illud compositum sit substantiale, ut homo, cujus causa formalis est anima rationalis; sive accidentale, ut corpus album, cujus forma est albedo.
- II. **RATIO CAUSANDI**, quæ est potentia informanti, hæcque ab ipsâ formæ substantiâ non distinguitur, neque enim forma per aliquid à se distinctum, sed per essentiam suam apta est informare & dare esse rei; sicuti nec potentia passiva distinguebatur (realiter) à materiâ.
- III. **CAUSALITAS**, hæcque est unio formæ cum materiâ, quatenus se habet ex parte formæ. Hoc enim ipso, quod forma unita est materiæ; dat esse composito; sicut contra unionem inter materiam & formam dissolutâ, compositum interire necessum est, sive forma in rerum naturâ permaneat, sive & ipsa pereat. Ita anima rationalis corpori organico unita dat esse homini. Sed statim atque unio inter corpus & animam dissolvitur, superstitè licet animâ, non amplius est homo. Notanter dicitur, quatenus se habet ex parte formæ. Nam materiæ & formæ unio potest considerari bifariam. I. Ut se habet ex parte materiæ, h. e. prout est subjektivè in materiâ, & formam respicit ut terminum, & sic est causalitas materiæ, saltem respectu compositi cum factò esse. II. Ut se habet unio ex parte formæ, h. e. prout subjektivè in formâ est, & materiam respicit, ut terminum, quâ ratione est formæ causalitas.

IV. Distinctiones, quarum

- 1. Forma est vel (e.) { **SUBSTANTIALIS**, quæ est principium cum materiâ vel subjektivè unum **PER SE** constituens; sicut anima rationalis cum corpore organico constituit hominem. Dicitur forma substantialis inde, quod non sit accidens quoddam, sed ad prædicamentum substantiæ pertineat. Et hujusmodi ex Peripateticorum sententiâ est forma cujuslibet corporis naturalis, in quantum est naturale, ut forma equi, bovis, plantæ, auri, ignis.
ACCIDENTALIS, quæ est principium constituens cum materiâ vel subjektivè unum **PER ACCIDENS**. Diciturque sic quodvis accidens in abstractò sumtum; Sic musica cum homine, musicum, concavitas cum naso sinum constituit.
- 2. Forma est vel (r) { **INTERNA**, quæ materiam vel subjektivum, cui inest, immet vel penetrat: quales sunt omnes formæ substantiales, ut anima hominis, bovis, plantæ. Forma penetrare subjektivum dicitur *hòc ipsò*, quod in quolibet subjektivè spatio indivisa existit; quomodo albedo, dulcedo, friabilitas saccharum penetrant, siquidem quælibet etiam minima sacchari pars alba, dulcis friabilis est.
EXTERN A, quæ ex diversa terminatione quantitatis resultat, atque adeò tantum in superficie corporis hæret. Hæc quartam qualitatis speciem constituit. Dicitur *Externa*, non quasi nullò modò materiæ vel subjektivò inesset; alioquin enim non esset forma informantis & propriè ita dicta; sed quod non ita inest, ut subjektivum intimè penetrat.
- 3. Forma est vel (d) { **SIMPLEX**, quæ nempe non habet partes diversæ rationis. Ita calor aquæ, albedo parietis forma est.
COMPOSITA, quæ habet partes diversæ rationis, ut figura sive forma externa corporis alicujus heterogenei, v. gr. hominis vel ædificii. Forma enim humana figuram oculi, nasi, auris, manûs & alias partes complectitur, quæ singulæ sunt diversæ rationis, hoc est, diversam tum inter se, tum à toto definitionem obtinent.
- 4. Forma est vel (i) { **TOTALIS**, quæ informat omnes partes totius heterogenei, v. gr. anima.
PARTIALIS, quæ tantum aliquam partem totius heterogenei informat. v. gr. forma jecoris.
- 5. Forma est vel (o) { **PARTIS**, quæ est altera pars compositi à materiâ condistincta, v. gr. anima.
TOTIUS, est tota compositi essentia in abstractò sumta, v. gr. humanitas respectu hominis.

A

F

6. For-